

atque Sabutum usque ad fines abbatis Marci⁷⁾ et monasterii sanctorum trium puerorum⁸⁾ et usque ad eum locum, ubi flumen Netus iungitur Ampolino. Quia vero fidelis noster Fredericus magister castellorum Calabriae et magister Silae occasione eiusdem generalis mandati nostri praecepit dissagiri praefatum monasterium Floris eadem possessione, nos, qui ipsum monasterium manutenere cepimus et nostris elemosinis sustentare, eadem possessione saepescripto monasterio a nostra maiestate concessa cum integris suis finibus sagitum esse volumus et securum, mandantes et imperiali auctoritate praecipientes, quatenus nulla persona humilis vel alta, nullus baiulorum aut quilibet alius de ipsa possessione et proventibus eius praefatum monasterium Floris sub nostra protectione susceptum ulterius dissagire aut molestare presumat, sed eam absque diminutione in pace et quiete possidere permittat. Ut autem haec sigina^{e)} facta in nostra celsitudine praedicto monasterio Floris firma in perpetuum et inconcussa permaneat, praesens scriptum inde fieri et maiestatis nostrae sigillo cereo iussimus roborari.

Datum apud Cusentiam, anno dominicae incarnationis millesimo centesimo nonagesimo septimo, vigesimo primo die mensis Februarii, quintae decimae indictionis.

^{e)} so B, statt pagina (?)

⁷⁾ = Montemarco (Diöz. Cerenza, Kalabrien)? (vgl. R i e s, Reg. 71).

⁸⁾ Basilianerkloster Tre Fanciulli (Diöz. Cerenza, Kalabrien).